

De moribus
& gestis su-
perborum.
Elatio super-
borum, hin-
nisus est su-
litis.

3. Tertio loco notandum est, quod non simpliciter dicit, *Superbum non potero*: sed, *Elatum oculis & latum pectore non potero*. Quibus verbis non solum animi vitium, *superbiam* videlicet, sed & mores ac gestus hominis superbi notat & damnat, quibus ipsius vitij proditur natura & ingenium. In oculorum elatione affectatio sublimitatis est, & fastidium inferiorum. Pectoris inflatio, & tumiditas, quæ non solum vestitu, sed & cubitorum extensione insolefcit, quid aliud præ se fert, quam amolitionem reliquorum, ne quis propius, veluti par & sodalis iungatur: Hoc non modo incessu suo superbi, sed & in confessu reliquorum faciunt. Tale est etiam quod latas & amplas ædes statuunt, & vix à laterè quinquam habitorem, quasi soli in terris habitaturi, ferre possunt: quod Esaias cap. 5 luculenter reprehendit. Hosce mores & gestus non est opus perstringere, quod alioqui satis noti sint, & passim in hoc seculo obtineant.

Ab illis tamen separandi sunt hi, qui non ex animi vitio, sed morum neglectu, parùm bene instituti insolenter incedunt, & capita vel in sublime erigunt, vel in vtrumque latus crebrò iactant. Hos mores homo sapiens, etsi non prorsus abijcere poterit, aliquo tamen vsque moderabitur: ne, etsi non sit superbus, speciem tamen superbientis spectantium oculis obijciat.

Quod non dicit, Non feram: sed, Non potero.

4. Quartò, etiam illud notandum est, quod non dicit, *Elatum oculis, & latum pectore non feram*: sed simpliciter, *Non potero*. Aliud est, non ferre quenquam: & aliud, non posse ferre. Summam superbiam abominationem his verbis expressit Propheta. Multæ sunt causæ, ob quas nonnunquam vsuvenit, ut aliquem domi nostræ non feramus, quem tamen in se non abominemur. At qui se quempiam ferre non posse dicit, satis indicat, ita se illum auersari, ut nullis rationibus ad ferendum eum induci possit. Tanta videlicet est turpitudine vitij huius, ut viro pio ac bono mores & gestus illius aspectu sint intolerabiles. Sic nos Germani dicimus, *Ich mag des Menschen gar nicht*. Quantumvis doctus, sapiens, & rebus gerendis accommodus, sit superbus, detestabilis tamen est, propter adiunctam superbiam. Hinc illud est: *Inquinat egregios adiuncta superbia mores*.

Et illud obseruandum est, quod non dicit, *Hunc succidam, vel perdam*: sicut de eo dixit, qui proximo suo clanculùm detrahat: sed, *Non potero*. Licet detestabile sit vitium superbiam, non tamen cadit sub leges ciuiles, quibus puniri possit: nisi accedant alia vitia, rebellionis videlicet, & contumaciæ, &c. interea tamen amplius multò punitur à Deo, quàm reliqua vitia, in quæ humanis legibus animaduertitur.

OBSER.
Vers. 6.

Oculi mei ad fideles in terra, ut habitent mecum. 1. Principiò notandum est hoc loco, quod genus hominum pius rex aulæ suæ coniungere voluerit. Non dicit, *Oculi mei ad eos qui sunt in terra nobiles, diuites, potentes, sapientes, & astuti*, quales plerunq; Principes præ cæteris studiosè complecti solent: sed, *Oculi mei, inquit, ad fideles in terra: ambulans in via integra, is ministrabit mihi*. Ergo fideles homines & integros eligere sibi voluit. *Fideles* sunt, qui bona fide agunt omnia, homines veritatis studiosi, vnde & אֱמֻנָה id est, *veraces* vocantur: quique ita sunt affecti erga quosuis, ut aliorum magis quàm proprio commodo studeant. *Integrè ambulantes* illi sunt, qui innocenter & candidè vivunt, quibus nulla inest duplicitatis malitia.

2. Deinde notandum est, quod non simpliciter dicit, *Oculi mei ad fideles*: sed addit, *In terra, in Land*. Quid. Quocunque illi loco sint terræ, etiam si sint infimi ac plebeij, non contemnam eos, sed ex animo complectar. Admonemur ergo hic, ut virtutum magis quàm generis vel conditionis rationem habeamus, nec quempiam propter generis humilitatem fastidiamus.

Cogitabis & hoc. Vult videles in terra seligere, ut secum habitent. *Fidelem esse in terra*, est in terra in plebe, humilem inter humiles sic se gerere, ut omnia bona fide agantur. Ergo pius rex eos qui in modico fideles reperiuntur, domui suæ cõiungere, & magnis rebus præficere destinat. Etenim sic comparati sunt fideles, ut quocunq; loco sint, humili vel sublimes, perpetuò sibi similes inueniantur. Qui inter imperitos & incautos, quibus facillimè imponi potest, fideliter agit, haud quaquam cum peritis & cautis aget perfidè. Item qui in modicis rebus perfidus est, vbi vel nullum, vel certè modicum est emolumentum: quid faciet ille in magnis, vbi maioris emolumentis spes & occasio offertur: Hinc illud est Lucæ 16: *Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, etiam in maiori iniquus est*.

3. Tertio etiam hoc expendendum est, quod non dicit, *Coniungam mihi fideles in terra*: sed, *Oculi mei ad fideles in terra*. Significat se circumspecturum in terra & studiosè fideles homines quæsiturum. Admonetur hinc magistratus, ut non temerè sine discrimine ex aliorum tantùm iudicio colligat, quorum opera vtatur, sed diligenti circumspectione fideles homines conquirat. Non dicit, *Oculi meorum*: sed, *Oculi mei ad fideles in terra*. Plerunque accidit, ut commendentur magistratibus tales, quorùm profectus magis, quàm vel magistratum vel subditorum quærat. Ideo necessarium est, ut ipse magistratus experimentum eorum capiat, quos adiungi sibi voluerit. Euenit aliquando, ut etiam ij qui circumspiciunt, ipsi fallantur: nihilo tamen minus laudabile est necessarium studium hoc circumspiciendi. Et Dauid ipse non dicit hinc, *Habebo apud me non nisi fideles*. sed, *Oculi mei, inquit, ad fideles in terra*. Nam & ipse deceptus est per Achitophelum, & alios consimiles.

4. Quartò considerandum etiam est, ad quid oculos suos ad fideles & integros in terra directurum se dicat: *Ut habitent, inquit, mecum*. Item: *Ambulans in via integra, is ministrabit mihi*. Videtur hinc asignari gemina ratio. Vna, per id quod dicit: *Ut habitent mecum*. Altera in eo quod subijcit: *Is ministrabit mihi*. Prior ratio animi delectationem, posterior vsum & commoditatem ministrandi concernit. Qui animo fideli & integro præditus est, ideoque & perfidos, malitiosos, delatores proximorum, superbos, fraudulentos, mendaces, impios & operarios iniquos detestatur, is certè fidelibus & integris hominibus, qui nec peruersi, nec malitiosi, nec detrectatores, nec superbi esse possunt, delectatur,

& confort
... & fidus
... ratione
... non potest
... regi, qu
... sed vt
... dilectio
... Apollolus
... posteriorum
... est ad
... se
... aut
... sit erg
... Deinde qu
... sed vt
... moribus
... cõtra
... mentis
... si qui fidel
... Non
... consp
... domum
... venia
... prospera
... om
... quomodo & terra
... proph
... quid illis fa
... ac vepr
... iniquos
... perior ar
... de civitate Dou
... elinat. Sc
... Domini, & zel
... operarij iniqu
... esse, etiam vt
... comparat, in quo

Vo consider
... Etenim
... adfic
... despondent. Qu
... Christianos.
... spiritu sancto
... consertat
... in adflic
... in epigrapha no
... redundat
... de diuina
... in conspectum
... Verbum effu
... Domino effu
... obvolat o
... singula su
... audatur fid
... adflic & co
... querula
... quem or d